

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE PARALYSI
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEGNON
CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE CONSEQUENDA
IN ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNG.
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
PHILIPPUS BILLITZER
PESTIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
maiori die Maii 1835.

BUDA E,
TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

Meinem theuersten
Vater
aus unbegrenzter Liebe
und
Danbarkeit
ehrfurchtsvoll gewidmet

Da veniam scriptis quorum non gloria
nobis causa, sed officium fuit.

Pr o o e m i u m.

Corporis nostri infirmitas multos subit casus, vix aequae lamentabilem, et aspectu miserandum, quam paralytin. Miserum quidem est tortores experiri dolores, horumque facibus accensis noctu, diuque ingemiscere; ast non sentire omni tristi sensationi est miserius, non punctam sectamque retrahere manum, non percipere objecta, quid aliud est quam inanimem quasi partem et ut pondus inutile circumferre corpusculum? Quocirca operae pretium me facturum duxi, si de tali molestissimo adfectu paucula proponerem.

D e f i n i t i o.

Paralysis a *παρالىς* idem ac resolvo, apoplexia Hippocratis, Resolutio Celsi, est abolitio plenaria, aut saltem notabilis imminutio

motus voluntarii et nonnunquam sensus simul partium Corporis certarum ex suppressa aut exhausta facultate systematis nervosi.

Dum receptivitas et facultas motrix tantum imminutae sunt, ita ut stimuli externi minus bene percipiantur, et muscoli difficilius ad reactionem concitentur, status hic dicitur languor, alias alterutra tantum facultas deletur, vocatur Paresis, et quidem motus facultate perdito, sensu superstite, paresis motus (acinesia), ubi vero sensus desideratur, vi motrice salva perdurante, paresis sensus (anodynia). Quomodo fiat ut in parte sensu et motu praedita alterutra facultas exstingui possit, altera intacta relicta; hoc iam antiquissimi medici eo explicare conabantur quod alios nervos motui, alios sensui inservire dixerint. Per investigationes anatomico — physiologicas Magendii et Tiedemanni adsertum comprobatur, cum enim hi nervi diversis in locis partis Centralis originem summant; non obstat quod non seorsim aliter atqua aliter imo contraria ratione adfici possint.

Paralysis iam subito ingruit, saepe vel inadvertentibus durante somno; tunc ut plurimum comes apoplexiae, iam lento evolvitur passu, quo in casu imminentem paralyisin prae-

sagiunt prodroma, pars scilicet sideranda per-
sentit sensum frigoris, stuporis, debilitatis, for-
micationis, pruritus, alias doloribus saepe in-
tensis infestatur, iam spasms et convulsioni-
bus corripitur, quibus frequentius pars illa in-
commodatur quae parti siderandae est oppo-
sita. Prodroma vario tempore excurrunt, do-
nec in actu constituta paralysis se manifestet;
cuius cognitio facilis, et vix aliis opus habe-
ret signis diagnosticis, quam defectum plenari-
um sensus et motus simul (paralys. completa)
vel alterutrius facultatis tantum (paralys. in-
completa), quae duo symptomata essentialiter
inhaerent, his se adsociant dolor, frequentius
in paresi motus, stupor, frequentius in paresi
sensus, pallor, notabilis membri frigiditas, gra-
vitas, flacciditas, atrophia, non raro ex vaso-
rum resorbentium languore tumor, pulsus par-
vus debilis, subinde in senibus hemiplecticis
pulsus magnus et tardus observatur.

Resolutio partium corporis internarum
cognitionis est difficilioris, ubi tamen paraly-
sis culmen evolutionis attingit, sublata functio
correspondens parti resolutae, hoc vitium innuit.

D i v i s i o .

Paralysis multiplicis divisionis capax est

1. Relate ad evolutionis gradum datur Paralysis. perfecta, et P. imperfecta, cuius significationem superius explanavimus.

2. Respectu extensionis et sedis specialioris est.

a. P. universalis plurimas organismi partes comprehendens, ut plurimum apoplexiæ comes, in morbis ceteris si occurrat, significationis est pessimæ, mortis enim præcursor.

b. Paralysis. partialis seu topica, hanc vel illam partem Corporis, illaesis reliquis corripuens. Qua varietas paralysis universalis consideranda est Hemiplegia, Paraplegia, et paralysis. cruciata. Sub Hemiplegia unum aut aliud latus corporis sideratum est.

Paraplegia vel paraplexia summam debilitatem sensus et motus vel alterutrius tantum in dimidio corporis transversim sumti sistit, vulgo extremorum inferiorum. Paralysis. cruciata seu transversa, in qua una extremitas superior, et una inferior, sed diversi lateris paralytica est.

Paralysis partialis pro vario quod adgreditur organo, diversam nanciscitur denomina-

tionem et varia exhibet symptomata. Sequentes species frequentiores sunt:

- a. **Blepharoplegia**, quae dum tantum levator palpebrae superioris atonia laboret; palpebra superior propendet, et sua sponte atolliquequit (Blepharoptosis), integro vero musculo orbiculari resoluta, oculus semper manet apertus, (Lagophthalmus s. oculus leporinus) continuo lacrimat, et cum oculus constanter injuriis externis expositus sit; irritationis symptomata manifestat, rubet, lucem aversatur, splendorem perdit, visusque detrimentum patitur.
- b. **Hemiplegia facialis**, in qua facies versus latus sanum per musculos antagonistas distortetur, sicque lineamenta faciei varie deformantur.
- c. **Glossoplegia** impotentiam linguam vel plane non, vel imperfecte movendi denotat, unde loquela vel in totum cessat, vel minus articulata profertur, sapes minus percipiuntur (Ageusia) masticatio et deglutitio molestias gignunt, saliva et liquida assumpta effluunt, ipsa lingua ex ore propendet (Glossocela.)
- d. **Dysphagia paralytica** se exerit sub laesa deglutitione, sive quod alimenta plane descendere

nolint, sive sua sponte in ventriculum delabantur, cum strepitu comitante (deglutitio sonora), frequenter cum glossoplegia incedit.

- e. Paralysis musculorum colli unius lateris caput obstippum reddit, dum omnes musculos caput erigentes prehendat, caput sustentari nequit, sed secundum leges gravitatis se componit.
- f. P. sphincteris vesicae urinariae et ani, involuntariam urinae et faecum exclusionem comitem habet.
- g. P. musculorum membri virilis, (Cauloplegia) in laesa eiusdem erectione, vel aliquando saltem in glandis flacciditate consistit. Haec species cum priori ut plurimum sub Paraplegia inferiori symptomatice occurrit.
- h. P. retinae et nervi optici summam visionis hebetudinem post se trahit, (amaurosis) sicut P. nervi acustici Cophosin, nervi olfactorii anosmiam etc.

Tertium divisionis momentum a causis pathogeneticis petitur, hoc respectu distinguitur:

- a. P. apoplectica, post insultum apoplecticum residua, in qua initia nervorum comuni sensorio irradicatorum eodem modo cum cerebro laesa sunt, producens non raro paralysin parti sideratae oppositam.

- b. P. rheumatica in partibus a doloribus rheumaticis antea excruciatīs remanens.
- c. P. a causa materiali, cuius causa sustentans est materia secretionē morbosa generata, aut extravasatum, sive productum luxuriantis processus vegetativi, uti sunt excrescentiæ, tumores diversi, qui substantiam nervæ comprimendo, illius communicationem cum sensorio comuni intercipiunt. Tales pseudo-organisationes frequenter occurrunt sub decursu arthritidis, syphilidis.
- d. P. cachectica in qua vita altior animalis per consumptionem rapidiorem aut materierum plasticarum egestatem ad imum prostrata est, quales sunt paralyse post morbos graves imprimis nervosos perpassos; post animi adfectus deprimentes, post venena ingesta, profluvia, et morbos vegetationi infensos, uti scorbutus etc.

Si viscera cavis corporis reclusa paralyseprehendantur vocatur P. interna; externa dum organa extra illorum ambitum locata paralyse sentur.

A paralyse vera discernenda est P. adparens (acampsia) in qua pars adfecta difficulter movetur, eiusque receptivitas pro influxibus externis pro parte imminuta est, neque fri-

get, nec tabescit, sed turgorem vitalem retinet, species huius dantur :

- a. *Acampsia muscularis* in qua ob disproportionem quae inter musculos flexores et extensores locum habet, priores abbreviati adparent, qua ex causa activus eorum motus impossibilis, passivus dolorificus evadit, est vera contractura, abbreviatio et rigiditas musculorum, eorumque tendinum, quae evolvitur post diuturnam quietem, aut vehementem adstrictionem, item post spasmos, metastases.
- b. *Ac. Tetanoides* consistit in spasmo tonico, qui subito membrum integrum, aut singulos musculos comprehendit, motum impedit, et contractionis sensum molestum causat; huc refertur sic dictus *grampus*, qui persentitur saepe in suris, et post adhibitam frictionem mox evanescit, diutius durans, et frequentius recurrens, *symptoma pathognomonicum Tetani* constituit.
- c. *Ac. ossea* est vitium chronicum lente evolutum, in ossibus sedem habens, musculis normaliter persistentibus, motus dolores osteocopos excitat.

Omnes hi adfectus, a paralyysi genuina distinguendi sunt uti etiam *Ankylosis*.

E x i t u s.

Terminatur Paralysis vel sanitate, qui exitus rarior sperandus est, dum eadem se insinuant criteria, quae paralytin imminuentem praecedunt, formicatio, pruritus, subinde dolor, pulsus elevatur, plenior, aequabilior, fortior redditur, calor et sudor criticus in parte paralytica comperet, tandem movetur.

Alter exitus est in Paralytin chronicam, quae si organa nobilia non prehendant; vita salvatur, morti partiali similis. Merito timenda est haec terminatio si Paral. post apoplexiam remaneat.

Mors ex Paralyti subsequitur, vel quod affectus iste ulterius propagetur, ad organa quoque nobilia, vel eo, quod vitam somaticam ita infringat, ut tabes aut hydrops subsequatur.

A e t i o l o g i a.

Cum scire sit causas cognoscere, merito ad earum explicationem nos accingimus.

Dispositionem ad paralytin gignunt abusus incitamentorum, Systema nervosum nimis concitantium, uti abusus cibi et potus stimulantis, adstrictio mentis excessiva, morbi quidam eminentem relinquunt inclinationem ad paralytes, inter quos apoplexia primum meretur locum,

rheumatismus, epilepsia, febres typhoso-ner-
 vosae, dolores, partes saepe resolutas reddunt.
 Juventus minus affligitur hocce adfectu, utpote
 in qua calor vegetus adhuc est; huic calamitati
 frequentius subjecti degunt senes, quorum tem-
 peramento frigido, spiritibus sensim a vigore
 et motu suo desciscentibus, competens magis
 est malum. Causae procatharticae aut in ipsa
 parte adfecta criteria paralyseos manifestante
 resident, quapropter Paral. idiopathica nomi-
 natur; quae in genere rarior est. Prisci me-
 dici omnem paralyisin pro idiopathica habue-
 runt, donec per anatomiam pathologicam evi-
 ctum fuerit, causam materiale[m] paralyisin su-
 stentantem, frequentius in parte opposita sedem
 suam figere, imo saepe saepius, in organis dis-
 sitis, a priori vix cognoscendis haerere, quod
 phaenomenon, physiologi partim per decussa-
 tionem nervorum, partim per consensum quem
 organa etiam dissita invicem fovent, explicare
 sattagunt. Recentiori tempore perconatus Cell.
 Serres, Foville, Pinel Grandchamp etc. eo iam
 res perducta est, ut pro vario organo, quod
 paralyticum videtur, certum etiam locum et
 peripheriam in Cerebro, aut medulla spinali, ori-
 ginarie adfectum, adsignare contenderint, Sic
 C. Serres per longam observationem compro-

batum esse vult: alterutro haemisphaerio cerebri, et cerebelli tentato; corporis latus ei oppositum sideratum esse, eadem parte centri nervosi adfecta sed minori in extensione; omnes extremitates resolutas deprehendere; itidem si protuberantia annularis vitiosa existeret. Medulla spinali male adfecta, paralysis omnium organorum infra laesionis punctum sitorum locum habere, dimidia parte medullae spinalis morbose se habente; paralysin tantum dimidium latus prehendere, et prout laesio in anteriori, aut posteriori facie medullae spin. locum habeat, nervos aut motus, aut sensus, resolutos esse. Sic thalamo nervorum opticorum turbato, extremitates superiores resolvi, corporibus vero striatis infestatis, inferiores, ab utrorum vitio, haemiplegiam induci. Non obstantibus his conatibus, fateri oportet, hanc rem in incunabulis adhuc versari, et multa adhuc superesse dubia, de originario adfectionis loco, quae ad interim hypothesebus resolvere conamur.

Frequentior est Paralysis symptomata, quae duplicis est indolis; vel enim a vitio quodam organico adparatus nervei, sensibus perceptibili dependet, vel adfectionis universalis systematis nervosi, nulla vestigia relinquentis, est symptoma. Prioris indolis P. est illa, quae

sustentatur per congestiones versus partem centram, per laesiones capitis, uti sunt Comotio Cerebri, depressio Calvariae, per hydrocephalum, hydatides, suppurationem, indurationem substantiae cerebri, per callositates meningum; intumescuntiam, exostoses cranii, laesiones columnae vertebralis, et medullae spin. curvationes, fracturae, caries vertebrarum, hydrorachia, hydrocephalus, contusiones, lacerationes nervorum singulorum, aut eorum deligatio etc.

Alterius indolis paralysis, producitur per causas nocentes dynamicas, quae ut plurimum universum systema nervosum adficiunt, et paralyses latius diffusos gignunt. Inter hujusmodi causas referuntur: animi pathemata deprimuntia, dolores diuturni et vehementes, convulsiones, febris typhosa, febris intermittens maligna, narcoses, ictus electrici fortiores, venena metallica, inter quae eminent arsenicum, Saturnus, Mercurius, minima dosi, sed per longioris temporis spatium inhalati.

Morbi exanthematici et impetiginosi, non iudicati, Rheuma, Arthritis, ab exterioribus percussa, ulcera chronica praepostere consolidata, profluvia habitualia suppressa, aut intermissa, paralyses metastaticas progenuerunt.

Vermes intestinales, alteriusve sortis sordes gastricae, item graviditas, consensuali ratione, sed nondum ex integro perspecta, paralysis inducunt.

P r o g n o s i s.

Prognostico se muniturus medicus, locum primario adfectum, indolem causarum excitantium, gradum, extensionem, durationem, aetatemque considerare necesse habet. In genere paralysis chronicus est morbus, nec cito terminatur, sed per plures menses, vel annos, imprimis quae apoplexiae succedit, durat, perfecta et universalis gravior; et curatu difficilior, imperfecta et partiali. Bona sunt signa: si atrophia desit, si sensus redeat, si morbus aetati competat, si membrum caleat, si motu ablato, sensus tum interni, tum externi, respective vegeti et salvi sunt, si tremor vel dolor subsequatur. Peius vero se res habet: si subsequatur apoplexiam, recidivam ut plurimum patitur aeger; si pars adfecta atrophia corripitur, si frigeat pars resoluta, si seni alterum pedem in cymba charontis iam habenti accedat, si mens stupidior aegrum constanter maneat. At impossibilis est plane curatio si nervus per transversum dissectus sit, quin et si ex vallida

et subita vertebrarum, praecipue cervici priorum, luxatione, vel vulnere oritur, utplurimum et tantum non semper lethalis est. Graviores statum reddunt, complicati adfectus alii, Epilepsia, convulsio etc.

T h e r a p i a.

In curatione paralyseos duplici indicationi satis facere convenit 1. Causas nocentes remove, et morbum fundamentalem paralyseos sustentantem erradicare, quo successo 2. activitatem nervis resolutis reddere studemus.

Prout diversa est indoles causarum nocentium, varia etiam ratione huic primae indicationi succurrimus. Sic contra vitia organica, luxationes, curvaturas, fracturas, nervorum consensum cum sensorio comuni intercipientes, manus chirurgica opitulatur. Stagnationes, extravasata, saburram primarum viarum, iam remediis solventibus, resorptionem incitantibus, iam evacuantibus amovemus, morbum specificum latitantem, specificis oppugnamus pharmacis, sic syphilis, scrophulosis, arthritis, impetigines, per hydrargyrum, stibinum, sulphur, barytam muriaticam, cicutam sanantur, et cum illis paralyseos, sub quorum larva adparuit. Vermes in intestinis hospitantes methodo anthel-

minthica necamus, postmodum expellimus. Paralysis toxicae, evacuantia, et antidota specialia postulant. Suppressas evacuationes habituales revocamus, aut neglectas reiteramus, vel eis vicarias substituimus. Paralysis sub febris intermittenti larvata, aut malitiosa comparens, cortici paruviano, eiusque praeparatis vel solis, aut opio nuptis cedit

Causis nocentibus abactis, alteri indicationi cum fructu ut satisfiat; characterem dynamicum paralyisin comitantem, in censum vocare juvabit.

Non raro vitalitas nervorum potius supprimitur, per maiorem vasorum agilitatem et eorum turgorem maiorem, quo pulpa nervea in sua functione impeditur. Characterem hunc cognoscimus ex indole momentorum disponentium, excitantium, et ex observatione quod methodum stimulantem aegre patiens ferat. Hunc characterem manescitur paralysis post haemorrhagias habituales suppressas. Vires systematis nervosi hic potius liberandas, quam roborandas habemus, quod obtinemus; vasorum erethysmum compescendo per methodum antiphlogisticam, hirudines vel cucurbitulas cruentas adplicamus, vel parti ipsi sideratae, vel ubi suppressam haemorrhagiam revocare, aut

imitare cupimus; in vicinia atrii e quo haemorrhagia contigit, reliquis simul mediis anti-phlogisticis in subsidium vocatis. Activitate systematis haematophori debilitata; sensu et motu nedum redeunte, metus est justus secretionem morbosam contigisse, per quam functio nervorum inhibetur, hinc actio vasorum absorbentium impellenda est. Optime assequimur hunc scopum Calomela, quae praeterquam activitatem vasorum absorbentium exaltat, humorum coagulabilitatem infrigit, alvum simul moderate ducit, et superfluos humores eliminat. Datur forma pulveris a grano 1—2 omni secunda aut tertia hora. Connubium eius cum pulvere digitalis purp. virtutem eximie exaltat. Ad resorptionis processum accellerandum, externe unguentum Neapolitanum in auxilium ducitur. Characterere synochali deleto, parte adfecta nedum ad suam functionem redeunte; a remediis antagonisticis et alterantibus optimus expectatur effectus. Huic desiderio satisfaciunt Emetica, talij dosi porrecta, ut solum nauseam concitent. Frequentissime huic fini tartarus emetic. inservit. Incipimus a grano uno in 3—6 Unc. aquae dest. soluto, inde omni hora uno cochleari cibario hauritur. Ventriculus cito adsuefit huic stimulo, hinc dosis semper au-

geri debet, in fine propositum nec adsequimur tartaro emetico, tunc ad vitriolum Zinci vel Cupri refugimus. Notandum, quod sub simili cura digestio facile prosternatur, quapropter in summa integritate constituta sint organa digestionis oportet. Plus exspectatur ab hacce emeticorum administratione, in paralyssi sensuum externorum, et sensorii comunis, quam in Paralyssi extremorum. Purgantia fortiora uti cucumis colocynthis, gratiola officin. tanta dosi porrecta, ut quotidie duas usque tres sedes procurent; antagonisticum aequae praestant effectum. Ex praeparatis colocynthidis, eius tinctura ut plurimum usuatur, a gutt. 5 omni altera hora, crescendo usque 20—30. Scilla marina in pulvere a grano uno usque quinque, paulatim adseendendo, vel oxymel eiusdem a Drachma 1—2 pro noctemero, nervos alterando, eos ad functionem reducere poterunt.

Contra paralyssin rheumaticam medici germani laudant Colchicum autumnale, imprimis vinum eius aut tincturam a gutt. 10—20, per diem. In eadem paralyseos specie, prout in paralyssi arthritica, a praeparatis antimonialibus, a Rhododendro crysanthi, solano dulce-amaro, extracto aconiti multum sperare licet. Frequens est antagonisticorum usus externus, iam

Hippocrati frequens, qualia sunt: synapismi, emplastr. et unguentum antimoniale, vesicantia, moxa, fonticuli, setaceum, ferrum candens. Horum usus in hemi- et paraplegiis proficuum, immediate in parte adfecta, vel cum causa mali in medulla spinali haereat; secundum totam longitudinem spinae, adplicari possunt. In casu ubi ex vera adynamia torpida paralysis superstat, quod iterum ex indole potentiarum debilitantium, et ex effectu sinistro therapiae debilitantis cognoscitur; remedia volatilia, aetherem suum super nervos diffundentia, et systema vasorum alacrius concitantia, adhiberi merentur; uti sunt herbae, flores, radices oleo aethereo praeditae, imprimis infusa radice angelicae valerianae, arnicae montanae, serpentariae virginianae in connubio cum liquoribus aethereis, tincturis stimulantibus, cum camphora, praeparatis amoniae, ut spiritu salis amoniaci anisato, lavandulato, vinoso, spiritu cornu C. simplici vel succinato, oleo animali aethereo. Efficacia horum augetur, si alternatim, aut una exhibeantur cum china, et marte, praecipue si ex languente vegetatione, substantiae organicae penuria adusetur. His pharmacis nihil opitulantiis, in simili rerum positione, magnum vidimus effectum a tinctura cau-

tharidum a gutt. 5 pro dosi hamaphagica, ascendendo usque 15—20 bis ter' de die. Galli et Angli laudant folia Rhois radicantis, et toxicodendri, quorum pulvis a grano semis intra 24 horas porrigitur, et sensim ad grana 5 augetur. Habetur etiam extractum, cuius virtus a diversa parandi methodo variat, aliqui iam a grano 1—2 effectum experti, alii nonnisi ab Unc. una, ideo magis insecurem est praeparatum. Magnam laudem in sananda paralyssi asthenica, a medicis gallis sibi promeruit nux vomica, et eius praeparatum strychnina. Sub cuius administratione, saepe iam dimidia hora ab exhibitione, alias solum post plurimum horarum spatium, pro diversitate dosis, in partibus vel solum resolutis, vel in omnibus musculis voluntariis, convulsiones, et spasmi tetanici, sensus formicationis, sudores profusi; subintrant, quae phenomena felicem resolutionis exitum praenunciare consueverunt. Nux vomica in substantia exhibetur a grauis 4, aut eius extract. spirituosum ad grana 2 sensimque augetur dosis, donec praemissa subintrent phenomena, quo subinde 40—30 grana desiderantur; valde efficax praeparatum est strychnina, cautissime tamen exhibendum. Incolamus ab $\frac{1}{10}$ parte grani intra 24 horas absumenda,

paulatim ad dimidium, ad summum gran. unum dosim nictemicam elevamus. In morbo diutius durante, saepe omnibus palmam praeripit phosphorus, oleo aethereo aut aethere vitrioli solutus, ea quantitate ut pro dosi hamaphagica initio $\frac{1}{12}$ grani veniat, adscendendo ad $\frac{1}{8}$ ad summum $\frac{1}{4}$ partem grani, attendendo ne intra nictemeron plus uno grano absumatur. Aliis Chenopodium ambrosoides, in pulvere a scrupusque drach. semis bis ter de die, aut in infuso ex drachm. 2 usque Unc. semis parato, cum Unc. 10 aquae, omni 2. hora duobus cochlearibus cibari profuit.

Remedia externa internis copulata, egregie horum effectum adjuvant. Incipimus a mioribus, uti sunt: frictiones cum panno, setaceo, lotiones vinosae, spirituosae, lotiones cum aquis aromat. Unguenta, emplastra, cataplasmata stimulantia, huc et fomenta aromatica sicca, spiritum anthos, sp. formicarum referimus. Fortiora sunt; linimentum saponato — camphoratum, unguent. nervinum, olea aetherea, oleum destillat. Therebinthinae, spiritus salis amon. casticus, oleis pinguibus iunctus, tinctura cantharid. Phosphorus aethere vitrioli solutus, vesicantia urticationes, caustica.

Principem locum in Paralyſi ſananda obtinent balnea ſulphurea, quorum virtus, imprimis in Paralyſi a venenis metallicis inducta, comprobatur. Inter hungaricas eminent thermae Budenſes, Magno-Varadienſes, Trentſi-nienſes Toeplicenſes, Pöſtényenſ. in Austria Badenſes, thermae hae partim calore ſuo naturali, partim ſulphure quod chemice junctum habent, nervos cutaneos ſpecifico adficiunt ſtimulo. In defectu thermarum naturalium, arte natyram imitare conamur. Pro balneo 240 libr. Windob. ſufficiunt librae 12 liquoris hydroſulphuretici pro balneo. Similem effectum habent thermae ſulfureae, uti et alkalinae in Paralyſi poſt arthritidem evoluta, cum ſyphilide aut rheumatismo complicata.

Balnea quoque martialia adhiberi merentur, in caſu ubi vegetationis penuria accuſatur, quo in caſu cum pharmacis roborantibus, et victu eupepto copulantur. Inter thermas martiales hungaricas nominari merentur Szklenoenſas, Szliátsenſes, Wichnyenſes, artefactae globulis martialibus parantur; balnea vinosa, ſpirituosa, aromatica, balnea irritantia, e ſolutione tartari ſtibiati constantia, ut plurimum topica, ſaepius iam profuerunt. Nec intermittendae ſunt embrocationes frigidae, balnea va-

porosa, ex aqua simpl. aut herbis aromaticis impregnata, evolutae, vel e commemoratis thermis elicitaе, balnea quoque stillatitia profuisse experientia testatur. Consilium Cel. P. Frank contra omnem paralyisin unguent: hydrargyri ciner. adhiberi debere, nos arctioribus cancellis circumscribimus. Hydrargyro enim potens convenit virtus resolvens, hanc vero medendi rationem, in paralyisi a dubilitate sustentata non desideramus, nisi in casibus illis, ubi syphillis sub forma paralyseos adpareret; specificе prodesse poterit. In paralyisi linguae, juvant infractiones oleo Cajeputti, ol. aeth. Cinamomi, menthae piper. florum arnicae in aethere vitrioli solutis, motu linguae non abolito, colutoria ex decocto rad. pyrethri, vel ex tinct. Capsici an. suffic. aqua diluta, eximio coronantur effectu. P. vesicae urinariae sublata fuit per Catheterem diu in vesica relictum, P. intestini recti per Clysmata irritantia etc.

Inter remedia externa praestantissima contra P. celebratur Electricitas, et Galvanismus. Iam pridem identitas harum virium per physicam demonstrata est, nec hodie de hac re aliquis dubitat, in virtute quam super organismum diffundunt, sibi quam simillimae. Experientia vero probatum est, nequaquam tan-

tum laudis illis tribuendum esse, in sananda P. quantum nuper exclamatum est. Certe non ita frequentes sunt paralyses ubi nulla causa materiali subversante; sola dynamica virium adfectio morbum sustentaret. Indicatur vero electricitas, in omni paralysi ubi nota phlogistica, et vitium organicum absunt. In illius adplicatione certi gradus receptivitati aegri respondentes, observandi sunt, incohamus a mitioribus, transimus ad fortiores. Minimus gradus est frictio, panno vel sataceo asperiori, maior est, qui per machinam electric. excitatur; quatuor sunt hujus gradus 1. ventulus electricus, comunicatur cuspidibus metallicis, vel conis ligneis, filo cum conductore primario junctis, et remotius a cute servatis. —

2. Balneum electricum, aegrum in insula situm electrizando usque dum capilli adsurgunt, pulsus frequentior fiat, et calor exaltetur.

3. Scintillae, quae vel comunicantur aegro non isolato ope communicatoris globosi, vel ex eodem super insulam constituto eliciuntur.

4. Sunt ictus: dum pars aliqua v. g. manus paralytica cum superficie externa, alia vero e. g. pes cum superficie interna in contactum ponatur; hi ictus suos habent gradus, qui attemperantur diversa magnitudine vitrorum, vel

diversa quantitate electricitatis communicata, v. g. discum circa axem bis ter, quater etc. rotando, unde fit ut in vitro eodem succussiones iam parvae, iam maiores produci possunt.

Galvanismus nihil aliud est quam electricitas per chemismum hic magis conspicuum, quam in machina electrica elicita, in hac enim oxydatio partium constituentium amalgamatis fit via sicca, tritu corporis idio electrici effectum suum nempe electricitatem producens; in machinis vero galvanicis oxydatio fit via humida. In priori electricitas nonnisi motu excitatur, sub quo particulae amalgamatis in contactum veniunt; In hac cum Chemismus via humida fiat, cumque corpora in libero motu et continuo contactu sint; hinc etiam electricitas continuo evolvatur est necesse. E multiplicibus in physica memoratis adparatibus, medicus columnam Voltae seligit: constat haec discis in diametro sesqui tertium pollicem habentibus, quilibet horum duabus laminis metallicis conferuminatis, diversam ad oxygenium adfinitatem habentibus absolvitur, comodissime paratur e cupro et zinco; ita ut disci infimi superficies seu lamina inferior, in processum unciiformem definens sit zincica, supraemi vero disci lamina superior, pariter sic desinens

sit cuprea, inter caeteros intermedios duplici hoc metallo compositos discos, lacinia panni etiam disciformis, in solutione muriatis sodae vel muriatis amoniae macerata, et expressa interposita sit. Numero discorum aucto effectus augeri potest, et vicissim, subinde iam, sufficiunt 16, 20 saepe usque ad 60 augetur, imprimis in paralyti cum sensibilitate imminuta vel plane suppressa. Modus adplicandi facilius, aeger in lecto etiam tractari potest: praeter conductores metallicos, fila, catenas, etiam conductor humidus, solutio videlicet salina supra memorata requiritur, qua pars cui immediate comunicatur galvanismus, humectatur; ut tamen effectus producatur plenus, polus uterque, partibus remotis adplicandus est; effectus hic consistit in ictibus se cito excipientibus, ut motus convulsivo similis oriatur. Recentissime ut valde efficax contra paralytin laudatur Acupunctura et Electropunctura, praecipue in P. particulari. Debet vero per plures septimanas adhiberi, et singula die bis ter adplicari. Ab Electropunctura plus exspectant medici, cuius effectus per maiorem electrici quantitatem, successive intensior redditur. Remedia psychica saepe citra omnem exspectationem subito morbum tollunt. Referuntur exem-

pla paralyſium etiam chronicarum, per repentinum terrorem, per gaudium inopinatum, momento ſublatarum. Sic Cel. Swietenius narrat de hemiplectico per plures annos lectum cuſtodiente; qui conflagrante ſua domo e lecto ſurexit, per fenestram exiit, et deinceps liber a morbo¹ mansit. Eadem ratione animi adfectus grati mitiori modo agentes, ſensorium commune immutare valent, et haec etiam praerogativa eſſe videntur Magnetismi animalis, de quo multum celebratur Mesmerus eiusque diſcipuli zelosi.

Reconvalescentia adhuc expoſcit continuationem remediorum, a quorum uſu emendationem experti ſumus; ne recidivam aeger patiat. Exercitium moderatum partis reſolutae curam aecellerabit, a cauſis vero nocentibus aeger ſolicite ſibi caveat.

Theses defendendae.

1. Quilibet sui ipsius medicus perfectus esse non potest.
 2. Actio contagiorum cum generatione optime comparari potest.
 3. Literati utplurimum valetudinarii.
 4. Remedia simplicia remediis operosae compositionis anteponenda sunt.
 5. Nutrices in suos alumnos corporis atque animi vitia transferunt.
 6. Nutrices ob nimiam lactationem ad tabem interdum deducuntur.
 7. Quaevis aetas peculiaribus morbis obnoxia.
 8. Figuli specularii non secus ac inauratores paralytici fiunt.
 9. Partus faciliores sunt in lectis quam super sellas.
 10. Thermas ars aequare potest.
 11. Divitum Cura difficilior pauperum.
 12. Victus simplicitas vitam longaevam efficit.
 13. Mammarum cum utero mirus consensus sed modus adhuc ignotus.
 14. Plebs magis fidit agyrtis quam medico.
-

1. The first part of the report...
2. The second part of the report...
3. The third part of the report...
4. The fourth part of the report...
5. The fifth part of the report...
6. The sixth part of the report...
7. The seventh part of the report...
8. The eighth part of the report...
9. The ninth part of the report...
10. The tenth part of the report...
11. The eleventh part of the report...
12. The twelfth part of the report...
13. The thirteenth part of the report...
14. The fourteenth part of the report...
15. The fifteenth part of the report...